

curiam sue uxori Mechthildi dicte similiter contulerunt ad utriusque vite tempora possidendam, tali facta cum eis condicione, quod edificia que dilapsa fuerant in eadem curia restaurarent et debitum censum annis singulis solverent ecclesie memorate, post mortem vero amborum dicta curia rediret iu ecclesie liberam potestatem. Hec itaque protestatio sive recognitio coram nobis in cautionem facta est, ne in posterum aliquis heredum vel amicorum ipsorum dictam curiam audeat impetere vel invadere seu occasione qualibet usurpare. Huius rei testes sunt: Arnoldus prior, Rodolphus custos, Fredericus cellararius, Willekinus hospitalarius, Heydenricus obedientarius monasterii supradicti; layci vero: Tilo Weslekonis schulthetus civitatis, Wasmodus Keseling, Bethemannus Hose, Bethemannus Rex, Lencemannus Boneke, Florin, Kristianus de Kuvürde, Cono Reghenbode, Ernestus, Cono Poppendorf, Reynerus litor, Martinus de Florstede et quam plures alii fide digni. In huius rei testimonium presens scriptum nostro sigillo fecimus firmiter communiri.

Actum anno domini MCCXCIII.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 34. Abschrift im Privilegienbuche S. 381. 382 mit der Ueberschrift: Vigenhagen recognitio consulatus. J. VI.*

## 1295.

## 142.

*Erich, Erzbischof zu Magdeburg, vereinigt die dem Kloster Berge gehörige Capelle zu Haldingsdorf mit der dortigen Kirche und incorporirt sie dem Kloster, indem er zugleich die Gründung eines Priorats oder einer Propstei daselbst gestattet.*

Ericus dei gracia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus omnibus ad quos presentes littere pervenient salutem in domino sempernam. Cum nos, qui divina largiente gracia ab eadem plus ceteris accepisse videmur, necesse habeamus in disponendis rebus nobis commissis per amplius et perfectius insudare, ne ab auctore eiusdem gracie gravius iudicemur, hinc est quod nos ad cultum divini nominis augmentandum capellam et ecclesiam parochialem sitas in villa Haldegestorp, quarum ius patronatus ad abbatem sancti Iohannis baptiste in monte iuxta Magdeburg et ipsius monasterium dinoscitur pertinere, univimus et eidem monasterio incorporavimus, abbatu et conventui predictis concedentes plenam et liberam potestatem, ut sic unitis capella et parochia predictis prioratum seu preposituram in eodem loco Haldegestorp facere ordinare valeant et fundare. Abbas vero, qui pro tempore fuerit, priorem seu prepositum huiusmodi pro cura recipienda et investitura archidiacono in Weddinge, qui pro tempore fuerit, presentabit. Qui recepta cura populi dicte parochie gerere curam debet et secum habebit fratres dicti monasterii, quos et quot abbas et conventus predicti ibidem voluerint ordinare, nostris episcopalibus et archidiaconi iuribus